pars testudinis reclinatur in murum templi, vel super columnas, de quibus consurgit templi altitudo. Ab intus enim est circulus columnarum marmorearum, supra quarum capita recurvantur arcus per gyrum, et de arcubus est murus per circuitum in altum erectus; murus autem exterior, columnas cingens, habet altitudinem columnarum, a quo, ut dixi, testudo recurvatur super columnas. In muro exteriori per circuitum sunt fenestrae magnae, oblongae, vitreae, sicut in ecclesiis, et spatium inter fenestram et fenestram est tantum, quanta est fenestra, quod spatium est de opere musaico ab extra pretiosissime depictum, ita quod campus picturae rutilat auro, ipsa autem pictura sunt formae arborum, palmarum et olivarum, et figurae Cherubinorum: non enim patiuntur alias imagines vel sculpturas ad eorum muscheas. Pars vero templi altior, quae de columnis ab intus procedit, in altum sursum erigitur, quasi ex illa iam dicta lata circumferentia cresceret. Habet supra per gyrum fenestram ad fenestram cohaerentem, quae fenestrae tamen sunt breviores, parviores inferioribus. In summitate habet tectum cameratum plumbo, quod auro quondam fuit obductum, sicut optime adhuc potest notari, et in culmine tecti stat luna cornuta, sursum cornua habens, sicut super omnes muscheas ponunt. Lunam autem ponunt in summitatibus suarum ecclesiarum et muschearum supinam, in modum naviculae, cujas una ratio est, quia Mahometistae conantur media quadam via incedere, ita, ut nec Christiani, nec Judaei videantur, et tamen ab utrisque participent. Judaei ergo cum nihil singulare super suas synagogas (ponant), nec etiam templum Salomonis legitur in culmine aliquid habuisse, nisi ipsum culmen; Christiani vero crucem cum gallo ex institutione prima habent in culminibus suarum ecclesiarum. Ut ergo Sarraceni ab utrisque differant, crucem refutaverunt et gallum retinuerunt in culmine sine cruce. Et quia etiam cum gallo videbantur christianizare, mutaverunt gallum in lunam cornutam vel supinam: et hoc fuit facile, quia gallus erecto collo et cauda stans speciem habet supinae lunae. Ideo etiam in ecclesiis ubi galli sunt, dicunt ipsi esse lunam. Sic in omnibus ritibus fecerunt quasdam mutationes, ut differant a nobis. Alia ratio est ex parte Machometi, qui totus

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;